Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

1° Omnis Dei minister, in quocumque gradu constitutus, hic attentum se reddat Apostolo, et juxta divinam ejus doctrinam reflectat ad duo. Primùm, ad ecclesiasticæ inspectionis onus. Attendat ergo quàm grave et quàm periculosum sit munus in alios indesinenter vigilandi, assiduè pro eorum salute laborandi, et sese salutis eorum sponsorem, et coram Deo vadem, cum suæ salutis propriæ periculo, reddendi; v. 1. Deinde attendat ad dotes huic implendo muneri necessarias, et hic ab Apostolo requisitas, tum ex parte morum, tum ex parte ingenii, scientiæ; scilicet ut sit omni vitio vacuus, omni virtute conspicuus, sit sanctitate et scientiâ aliis superior : et hæc duo si benè coram Deo penetraverit, procul dubio fugiet inspectionis onus, angelicis etiam humeris formidandum, vide dicta v. 1. Ibidem vide quando et quomodò suscipiendum sit hoc onus.

2° Omnis Ecclesiæ minister, quicumque sit, cognoscet quomodò eum oportet suo munere fungi, si attendat quid sit Ecclesia, et ideò quid sit Ecclesiæ minister. *Ecclesia est Dei domus*, in quâ Deus inhabitat : Ecclesiæ ergo minister est domesticus Dei. Ecclesia est aula Dei, in quâ colitur Deus; Ecclesiæ ergo minister est aulicus Dei. Ecclesia est domus, aula, templum Dei vivi et vitam cœlestem suis cultoribus influentis; Ecclesiæ ergo minister est hujus vitæ cœlestis, sub Deo dispensator. Quia autem domesticus est Dei domûs, quam decet sanctitudo, sanctè, purè, mundus corde et corpore ministret in eâ. Quia aulicus est Dei et coram Deo semper, piè, reverenter, et quasi sub oculis Dei, sua obeat munia. Quia sub Deo et cum Deo vitæ cœlestis communicator, hanc vitam cum charitate et ex charitate largiatur, Deique Spiritu animatus mysteria dispenset : sit ergo in se sanctus, erga Deum pius, erga proximum charitate plenus, v. 15.

3° Ut sciat Dei Ecclesiæque minister quid in dubiis aut in controversiis circa fidem debeat agere, attendat ad infallibilitatem Ecclesiæ. Ecclesia veritatis est columna; hanc ergo columnam amplectatur, illique firmus inhæreat; fugiat, horreat nova, singularia, etc. Ecclesia veritatis est firmamentum, huic igitur firmamento semper inconcussus inhæreat; Ecclesiæ doctrinam sequatur in omnibus.

CAPUT IV.

1. Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum,

2. In hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam,

3. Prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem :

4. Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur;

5. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem;

6. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei, et bonæ doctrinæ quam assecutus es.

7. Ineptas autem et aniles fabulas devita, exerce autem teipsum ad pietatem.

8. Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.

9. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus.

10. In hoc enim laboramus et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium.

11. Præcipe hæc, et doce.

12. Nemo adolescentiam tuam contemnat; sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate

13. Dùm venio, attende lectioni, exhortationi et doctrinæ.

CHAPITRE IV.

1. Or, l'Esprit de Dieu dit ouvertement que, dans les temps à venir, quelques-uns abandonneront la foi, en suivant des esprits d'erreur et des doctrines diaboliques,

2. Enseignées par des imposteurs pleins d'hypocrisie, dont la conscience est noircie de crimes,

3. Qui interdiront le mariage, et l'usage des viandes que Dieu a créées pour être reçues avec actions de graces par les fidèles, et par ceux qui connaissent la vérité.

4. Car tout ce que Dieu a créé est bon, et on ne doit rien rejeter de ce qui se mange avec actions de graces,

5. Parce qu'il est sanctifié par la parole de Dieu, et par la prière.

6. En enseignant ceci à nos frères, vous serez un bon ministre de Jésus-Christ, vous nourrissant des paroles de la foi, et de la bonne doctrine que vous avez apprise.

7. Fuyez les fables impertinentes et puériles, et exercez-vous à la piété.

8. Car les exercices corporels servent à peu de chose; mais la piété est utile à tout, et c'est à elle que les biens de la vie présente et ceux de la vie future ont été promis.

9. Ce que je vous dis est une vérité certaine, et digne d'être reçue avec une entière soumission.

10. Car ce qui nous porte à souffrir tous les maux et toutes les malédictions dont on nous charge, c'est que nous espérons au Dieu vivant, qui est le Sauveur de tous les hommes, et principalement des fidèles.

11. Annoncez ces choses, et enseignez-les.

12. Ayez soin que personne ne vous méprise à cause de votre jeunesse; mais rendez-vous le modèle des fidèles dans les entretiens, dans la manière d'agir avec le prochain, dans la charité, dans la foi, dans la chasteté.

13. En attendant que je vienne, appliquez-vous à la lecture, à l'exhortation et à l'instruction.

14. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.

15. Hæc meditare, in his esto; ut profectus tuus manifestus sit omnibus.

16. Attende tibi, et doctrinæ; insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.

14. Ne négligez pas la grace qui est en vous, qui vous a été donnée, suivant une révélation prophétique, par l'imposition des mains des prêtres.

15. Méditez ces choses, soyez-en toujours occupé, afin que votre avancement soit connu de tous.

16. Veillez sur vous-même et sur l'instruction : demeurez ferme dans ces exercices; car agissant de la sorte, vous vous sauverez vous-même, et ceux qui vous écoutent.

ANALYSIS.

Prædicit Apostolus hæreses brevi suborituras, quæ nuptias, velut illicitas, damnabunt, certosque cibos, tanquàm malos, v. 1, 2, 3. Omnes autem cibos in se bonos esse probat, tùm ex intentione Creatoris, v. 3, tùm ex naturâ rei creatæ, v. 4, tùm ex bono fidelium usu, quem docet, v. 5.

Hæc alios doceat Timotheus, fabulas autem spernat, v. 6, 7.

Timotheum ante omnia ad pietatis exercitium hortatur, et ut eò studiosiùs illam exerceat, quò pietas utilior est ad omnia et hujus et futuræ vitæ bona, v. 8. Hanc-que pietatis utilitatem, ad futuram præsertim vitam, vult Apostolus à Timotheo firmiter credi, et cum auctoritate doceri, v. 9, 10, 11.

Ne quis autem ipsum spernat ut juvenem, hortatur ut sit omnibus fidelibus sanctitatis exemplar, v. 12; utque lectioni sacræ Scripturæ, et divini verbi doctrinæ, sedulus intendat, v. 13.

Denique ut gratiam in ordinatione sibi collatam non negligat, v. 14. Sed ita suæ et aliorum sanctificationi sit attentus ut pateat omnibus quantùm in pietate et doctrinâ profecerit, v. 15, 16.

PARAPHRASIS.

1. Spiritus sanctus mihi apertè denuntiat quòd posthàc Christiani quidam à fide susceptâ deficient, aurem præbentes spiritibus erroneis, et doctrinis diabolicis,

2. Hominum cum simulatione falsidicorum, et conscientiam criminum cauterio inustam habentium, seu quas docebunt falsi doctores, hypocritæ et conscientiam cauteriatam habentes.

3. Qui nubere prohibebunt, et præcipient abstinere à cibis, quos Deus creavit ut iis cum gratiarum actione utantur fideles, et qui veritatem cognoscunt.

4. Verum quippe est quia quidquid à Deo creatum est, secundùm se bonum est : et ideò nihil rejiciendum tanquàm malum, si cum gratiarum actione sumatur ad cibum.

5. Illius præterea usus sanctificatur, fitque Deo gratus per verbum Dei et orationem.

6. Hæc si doceas fratres, ostendes te bonum Jesu Christi ministrum, innutritum verbis fidei et sanæ doctrinæ, id est, in verâ fide, et sanâ doctrinâ, quam perfectè didicisti.

7. (Talis cùm sis, enutritus scilicet in verâ fide, etc.), has fatuas et aniles falsidicorum fabulas contemne; te autem exerce in solidâ pietate (quam parit vera fides).

8. Exercitatio etenim palæstrica parùm et modico tempore juvat; pietatis autem exercitatio ad omnia utilis est : ipsi enim Deus promisit hujus et futuræ vitæ bona.

9. Hoc quod de pietate dico, certissimum est, et fide dignissimum.

10. Cur enim nos Christiani hujus vitæ labores libenter sustinemus, et hominum probra cum gaudio patimur, nisi quia speramus in Deum semper vivum, qui quidem omnium hominum salvator est, at maximè fidelium (quibus æterna præmia promisit et largietur).

11. Hæc omnia supradicta (licèt juvenis, tamen ut episcopus) cum auctoritate doce.

12. Ut autem juventutem tuam nemo contemnat, esto fidelium exemplar in sermonibus seris, in suavi conversandi modo, in charitate, in fide, in castitate.

13. Usque dùm veniam ad te, sedulam operàm nava in legendis sacris Scripturis, in exhortandis et docendis fidelibus.

14. Noli negligere donum quod est in te, quodque tibi collatum est cùm, juxta Dei revelationem, manus imposuerunt tibi presbyteri, id est, episcopi.

15. Hæc meditare, et esto totus in illis ut tuus, tùm in pietate, tum in scientiâ, profectus pateat omnibus.

16. Attende tibi ipsi (quò benè vivas) et gregi (quò benè doceas); in his duobus sta et persevera : hoc si feceris, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt salvabis.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Spiritus autem manifestè. In fine capitis præcedentis firmitatis ecclesiasticæ fundamentum præjecit Apostolus; nunc ad diruendas procedit hæreses, quas, Spiritu sancto revelante, brevi suborituras prædicit, et contra quas hic Timotheum, et omnes in illo prælatos Ecclesiæ, præmunit. *Spiritus*

Vers. 1. — *Spiritus autem manifestè dicit.* Spiritus sanctus, inquit, futurorum præscius, *dicit* et annuntiat, sive per me, sive per alios quos inspiravit; dicit, inquam, *manifestè*, id est, expressè, discrètè, planè, ac sine ænigmate.

Quia, quòd *in novissimis*, id est, posterioribus, vel sequentibus *temporibus discedent*, id est, deficient, sive desciscent *quidam à fide*; id est, deserent fidem Christianam semel susceptam. Id quod hæreticorum est et apostatarum.

UNIVERSIDAD ... NUEVO LEON
BIBLIO... y Tellez

sanctus, futurorum præscius, mihi, et aliis Ecclesiæ christianæ prophetis, *manifestè*, ἐκτῶς, *apertè*, clarè perspicuè, sine ænigmate,

DICIT, denuntiat, revelat.

QUIA posthàc, IN NOVISSIMIS, id est, subsequentibus, et proximè futuris temporibus. Hoc significat vox ὑστέροις quâ utitur Apostolus, ut sciat Timotheus sibi vigilandum esse cùm hoc de quo agitur sit ipso vivente eventurum.

DISCEDENT QUIDAM. Græc., *apostatabunt* A FIDE, à fide scilicet susceptâ, ergo Christiani.

ATTENDENTES SPIRITIBUS ERRORIS, πλάνοις, Græca nunc habent πλάνοις, *deceptoribus*.

ET DOCTRINIS DÆMONIORUM. Hos genitivos, *erroris et dæmoniorum*, puto more Hebraico positos pro epithetis, erroneis scilicet et dæmoniacis.

VERS. 2. — IN HYPOCRISI LOQUENTIUM MENDACIUM. Græc., ψευδολόγων, *mendaciloquorum*, vel falsidicorum. *In hypocrisi*. Hanc hypocrisim, seu simulationem, aliqui referunt ad doctrinam quam hypocriticè, nec eam credentes, docebunt illi falsidici. Alii ad opera, seu vitam illorum doctorum, qui pietatem simulantes, erunt tamen in vitâ suâ turpissimi. Utrumque simul verum puto, et juxta mentem D. Pauli, qui et doctrinam et vitam illorum falsidicorum ut hypocriticam depingit. Illorum doctrina erit hypocritica, speciem enim quamdam sanctitatis habebit. Verbi gratiâ, doctrina nuptias prohibens, speciem habet castitatis; doctrina præcipiens à quibusdam abstinere cibis, speciem habet temperantiæ : reverà tamen utraque in se mala est, contra Dei institutum; à diabolo ad malum finem inventa, ergo hypocritica. Vita quoque, quia sanctimoniam simulantes, pii et sancti coram hominibus apparere satagentes, cauteriatam tamen habebunt suam conscientiam, id est, cauterio libidinum, et omnium scelerum inustam et denigratam.

CAUTERIATAM HABENTIUM... Hâc metaphorâ sumptâ à maleficis, quibus ferro candente cutis inuritur, in signum delicti et infamiæ, D. Paulus significare voluit, primò, infamiæ notam, seu, ut ait Theophylactus, indelebiles notas sordidæ illorum vitæ; et huic conformis est Syrus : *Erunt*, inquit, *notati cauterio in suâ conscientiâ*. Secundò, putidam morum illorum corruptionem. Cauterium enim, ut ait D. Thomas, est corruptio in carne per ignem, ex quâ egreditur continuè putredo. Ita ex igne perversæ voluntatis illorum ulceratur conscientia et dæmoniorum egreditur falsa doctrina. Tertiò, fervorem et ardorem libidinum, seu, ut ait Emanuel Sa, ignem malitiæ. Quartò, illorum malitiæ immutabilitatem, seu, ut ait Theodoretus, stuporem eorum extremum. Locus cauterii morte affectus priorem sensum amisit, ait Theodoretus. *Cauteriatam* itaque *habentium* CONSCIENTIAM, id est, habentium conscientiam infami, putido, ardente et inextinguibili libidinum igne inustam, unde oritur corruptio, putredo, stupor, mors animæ.

Attendentes, spiritibus erroris, id est, fallentibus, seductoribus, et in errorem ducentibus, *et doctrinis dæmoniorum*. Undè rectè hîc Chrysostomus, asserit omnem hæresim et hæreticorum dogmata esse ex diabolo.

VERS. 2. — *In hypocrisi loquentium mendacium*, id est, in simulatione, in fictione. Cùm domi et secretò viverent turpissimè et libidinosissimè, foris tamen et exteriùs simulabant se castè et sanctè vivere, adeòque damnabant nuptias, etiam legitimas, ut docent Epiphanius et Augustinus.

Et cauteriatam habentium suam conscientiam. Cauteriatam, id est, inustam ac notatam cauterio : cùm sancti haberi velint, tamen conscientiam gerunt impurissimæ vitæ maculis indelebiliter notatam. Benè autem hypocrisim conjungit cum malâ conscientiâ; nam quicumque virtutem simulat, eo ipso sibi testis est se eâ carere. Cauteriatam conscientiam vocat Apostolus eam quæ sensum peccati amisit, instar partis cauterio inustæ, quæ jam pervenit ad dedolentiam.

Observatio litteralis et moralis.

Nec poterat paucioribus verbis plura dicere, nec poterat significantioribus verbis horrendam hæresum enormitatem nobis exprimere. Illam animadverte, et horre. Hæreses sunt à *spiritibus erroris*, id est, à dæmone falsitatis, erroris et mendacii patre. Sunt *à spiritibus erroris*, id est, ab hominibus fallacibus, mendacibus, inspiratis à dæmone omnis falsitatis et erroris fonte. Hæreses sunt *doctrinæ dæmoniorum*, id est, à dæmonibus inventæ et suggestæ. Sunt *doctrinæ dæmoniorum*, id est, ab hominibus dæmoniacis et à dæmone spiritualiter obsessis evulgatæ. Hæreses sunt doctrinæ hypocritæ, speciem conjusdam sanctitatis habentes, at in se semper malæ et pessimæ, et contra Dei verbum et veritatem. Sunt et hypocritarum doctrinæ; hominum qui sanctimoniam quidem simulant, at qui conscientiam habent cauterio, id est, igne, ardore, corruptione, putredine, stupore omnium libidinum et criminum inustam et indelebiliter notatam. Hic est omnium hæresum character.

Omnes hæreses signavit dicens : *Spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum*, ait D. Chrysostomus. Hic est etiam omnium hæresiarcharum character. Omnes erroris duces, sunt spiritus erroris, quia ejusmodi spiritibus afflati errorem suum loquuntur, idem D. Chrysostomus. Addo quòd omnium ferè hæresiarcharum conscientia fuit cauteriata, seu vita flagitiosa, et hinc illorum hæresis nata; malitia cordis eorum excæcavit eos. Sicut ex carne per ignem cauterii corruptâ egreditur putredo, ita ex conscientiâ per ignem perversæ voluntatis ulceratâ egreditur falsa dæmoniorum doctrina, D. Thomas. Quàm timenda itaque et ab omnibus cavenda tum mentis curiositas, tum cordis perversitas! curiositas mentis, inquam, ne spiritibus erroris aurem præbeat; perversitas autem cordis, ne pervertat et mentem.

VERS. 3. — PROHIBENTIUM NUBERE, ABSTINERE A CIBIS... Est hîc ellipsis contrarii, scilicet præcipientium abstinere. Omnibus generatim depictis hæresibus et hæresiarchis, nunc duas speciatim notat hæreses quæ jam tum initium cœperant, ait D. Chrysostomus. Manichæi quidem docuerunt nuptias à malo Deo, seu dæmone institutas; carnem, vinum, etc., ab eodem malo Deo creata, ac proinde mala esse et hominibus cavenda, ne illorum inficiantur usu. Sed non primus id docuit Manes; apostolorum enim tempore hoc ipsum docuêre Simoniani et Saturniani, Ebionitæ; deinde docuêre Marcionitæ, Encratitæ, Manichæi. Vide Cornelium à Lapide, Estium, Tyrinum. Hos primos hæreticos verosimiliter Timotheo designat Apostolus. Fortè et alios ex scholâ Pythagoricâ natos, quorum præcipui erant magi et ab animalium esu abstinebant. Fortè et ipsum Apollonium Thyaneum, qui fuit Pythagoricus et magus, et qui, Timotheo vivente, fvit Ephesum

Animadversio in nostrates hæreticos.

Sed sanè ridicula est hæreticorum temeritas, quæ hos errores Ecclesiæ Catholicæ audet impingere, cùm ipsa veritates doceat his erroribus oppositas. D. Paulus loquitur de hæreticis, qui nuptias damnabant ut illicitas, à dæmone institutas. Ecclesia nuptias laudat ut bonas; matrimonium reveretur ut sacramentum à Christo Domino institutum, illudque docet sanctum, magnum, honorabile. Equidem virginitatem ei præfert, ut honorabiliorem et pretiosiorem; sed argentumne damnat, qui ei præfert aurum? Quin imò Ecclesia virginitatem ut matrimonio pretiosiorem laudando, et matrimonium laudat ut pretiosum. Etenim, ut benè Theophylactus ait, quod pretiosius est, pretioso, pretiosius est; et quod melius est, bono melius est, non malo. Qui ergo potest, virginitatis aurum retineat; si verò non possit, argentum matrimonii recipiat.

Sed, inquies, nuptias initiandis prohibet.—Fateor.—Ergo nuptias prohibet.—Hoc est novantium sophisma, à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter. Quasi quis diceret : Apostolus Paulus, cap. 5, 12, hujus Epistolæ, viduarum conjugium damnat, quæ post continentiæ votum nubunt; ergo Paulus damnat conjugium. Itaque Ecclesia non prohibet initiandis nuptias, quasi malas, sed cælibatum initiatis præcipit, ut suo statui convenientiorem; hunc autem statum nulli præcipit.

D. Paulus loquitur de hæreticis qui cibos prohibebant ut malos. Ecclesia docet omnia à Deo creata esse et bona. Quorumdam tamen ciborum abstinentiam certis diebus, mortificationis et pœnitentiæ causâ, laudat et præcipit. In hoc quid mali? Nonne Deus Adamo prohibuit boni fructûs esum? Porrò sicut hæc Ecclesiæ praxis et doctrina, de cælibatu et de ciborum abstinentiâ, nova non est, sed cum eâ cœpit et crevit, sic et hæc hæreticorum calumnia cœpit primis Ecclesiæ temporibus : eam refutârunt sancti Patres, D. Hieronymus, lib. 1 advers. Jovinianum; D. Augustinus, lib. 3 contra Faustum, cap. 5 et 6. Videatur etiam D. Joannes Chrysostomus, hic, pag. 480.

Prohibentium nubere, abstinere..., id est : Illi falsidici, hypocritæ et conscientiâ cauteriati, prohibebunt matrimonium contrahere; hoc in Saturnianis completum esse docet D. Irenæus, lib. 1, cap. 22; nubere et generare à Satanâ dicunt esse. Et præcipient à multis abstinere cibis; et hoc de Saturnianis dicit D. Iren. Multi ex his qui sunt à Saturnino ab animalibus abstinent, perfectâ hujusmodi continentiâ seducentes multos.

QUOS DEUS CREAVIT AD PERCIPIENDUM... Primi erroris malitiam, quasi per se notam, prætermittit Apostolus; secundi verò malitiam detegit et refutat. Primò, ex intentione Dei creatoris, qui cibos omnes creavit ut fideles, et ii qui veritatem noverunt, illis utantur cum benefactoris laude et benedictione.

VERS. 4. — QUIA OMNIS CREATURA DEI BONA EST... Secundò, ex naturâ rei creatæ, quæ bona est. *Vidit cuncta quæ fecerat et erant valdè bona*. Itaque nihil rejiciendum, ut ex se malum, sed cum gratiarum actione percipiendum.

VERS. 5. — SANCTIFICATUR ENIM... Tertiò, ex bono fidelium usu, quasi diceret : Præterquàm quòd in se bonus est cibus, et à Deo creatus, illius prætorea usus sanctificatur, Deo consecratur, ἅτιque gratus per benedictionem et preces quas ante ciborum sumptionem præmittimus.

Observationes morales.

Ad tui ædificationem adverte tria hæc. Intentionem Dei cibos creantis, ut in eorum usu nostram in illum religionem exerceamus, corque nostrum, quasi victimam, in gratiarum actionem ei offeramus. Attende quomodò huic omnium creatoris intentioni respondeas. Deumne laudas dùm ejus creaturis uteris? Benefactorine gratias agis? An temetipsum offers gratitudinis ergo? Hoc faciunt qui verè, id est, qui vitâ, opere et corde, sunt fideles. Sed heu! quot infideles in Christianismo, qui de Deo Creatore, dùm ejus creaturis utuntur, ne quidem cogitant! Quot ingrati qui Dei creaturis ad Creatoris offensam abutuntur! Hanc utramque ingratitudinem cave.

Adverte creaturæ naturam. *Bona est*, quia divinæ bonitatis est quædam effusio, atque participatio. Hanc itaque Dei bonitatem in omni creaturâ intuere et dilige. Creatura, ut bonitatis divinæ effusio et participatio, quàm immunda quæ à Deo facta sunt respuere, sed à fortiori cibo et potu solâ castigatione corporis abstinere.

Quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, scilicet Deo creatori et largitori referendâ.

Fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem. Fideles enim sunt ii qui veritatem divinitùs manifestatam cognoverunt.

VERS. 4. — *Quia omnis creatura Dei bona est*, etc. rede Dei servos, quia carnibus abstinent, non tan-

VERS. 5. — *Sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem*, id est, per verbum Dei, quod est oratio, q. d. : per verbum et orationem Dei, id est, quæ fit ad Deum.

Felix illa juventus, quæ senectutis virtutibus decoratur! *Senectus venerabilis est, non diuturna... cani autem sunt sensus hominis...* Sap. 4, 8.

VERS. 13. — DUM VENIO, ATTENDE LECTIONI... Usque dùm veniam, et te pleniùs instruam, esto sedulus in lectione sacrarum Scripturarum. Inde habebis ut alios consoleris et doceas, seu ut fideles privatim exhorteris et soleris, publicè doceas.

Quod uni dicit, omnibus pastoribus et doctoribus dicit : *attende lectioni* Scripturarum. Liber est sacerdotalis, ait Ambrosius; substantia sacerdotii nostri, S. Dionysius, à Cornelio à Lapide citatus. Exhortare privatim, publicè doce.

VERS. 14. — NOLI NEGLIGERE GRATIAM. Græc., χάρισμα, *donum gratuitum*, pastorali officio exsequendo necessarium, quod tibi collatum est, etc., scilicet donum docendi, exhortandi, Scripturas interpretandi, etc. Admonet ut collata sibi dona applicet ad usum, legendo, hortando, docendo.

QUÆ TIBI DATA EST PER PROPHETIAM, id est, quando, Spiritu sancto inspirante, factus es episcopus per impositionem manuum mearum et cœtûs presbyterorum.

Paulus ipse manus imposuit Timotheo, 2 Tim., 1, et cum eo cœtus virorum apostolicorum, id est, episcoporum. Hinc episcopus per tres episcopos consecratur.

Si hoc monitu indiguit sanctus Timotheus, per Spiritum sanctum factus episcopus, quantò magis omnes quorum vocatio certissimè non fuit ita divina ?

VERS. 15. — HÆC MEDITARE..., et sic in illis totus esto, ut omnes cognoscant quantùm profeceris non in vitâ tantùm, sed et in verbo doctrinæ, ait Theophyl., id est, in pietate et doctrinâ.

VERS. 16. — ATTENDE TIBI (ut benè vivas) et *doctrinæ* (ut benè doceas), in hisque duobus persevera.

HOC ENIM FACIENS, id est, si feceris et teipsum salvabis et eos qui te audiunt.

Prælatus sanctè vivens, sanè docens, sua et suorum salus erit.

Ut profectus tuus manifestus sit omnibus. In *omnibus*, non tantùm in conversatione vitæ, verùm etiam in verbo doctrinæ.

VERS. 16. — *Attende tibi et doctrinæ.* Græcè, *tibi ipsi.* Sensus est : Attende tibi ipsi, ut rectè vivas : attende etiam doctrinæ, ut alios rectè instituas.

Insta in illis. Insiste in his duobus quæ dixi, ut et tibi attendas, et doctrinæ. Hæc duo munia sunt episcopi, imò cujusvis pastoris; ut scilicet primùm se, deindè alios doceat. Qui enim seipsos negligunt, et totos se in proximorum curam effundunt, evanido spiritu laborant, nec sibi nec aliis prosunt. Vive tibi, attende tibi, si vis aliis prodesse.

Hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. Nota, eum qui sibi attendit, seipsum; et qui doctrinæ intendit, alios salvos facere.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim redigenda.

In hoc capite, alia speciatim spectant ad Ecclesiæ ministros, alia ad omnes prorsùs fideles.

1° Omnis sanctæ, catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ minister attendat ad hæresum enormitatem, de quâ v. 1 et 2, ut hinc omnem horreat hæresim, et duo vitia caveat ad eam ducentia, scilicet mentis curiositatem, et cordis perversitatem. Vide dicta ad v. 1 et 2.

Discat ex v. 6 quòd ministri fidelis sit non tantùm mysteria docere, sed et modum omnes actiones, etiam communiores et necessarias, sanctificandi. A v. 8, quòd ante omnia debeat pietati studere, quæ ad omnia utilis est, ad hujus et ad futuræ vitæ felicitatem. A. v. 12, quòd omnibus exemplar esse debet sanctæ conversationis. A. v. 13, quòd sanctæ Scripturæ lectioni, et populorum exhortationi, sedulò vacare. A v. 16, quòd sanctâ vitâ, et sanâ doctrinâ, sua et suorum salus erit.

2° Omnis verò fidelis et Christianus attendat ad modum quo Dei creaturis utitur. Primò Deus cibos creavit ut illis cum Dei laude utamur. Quomodò huic beneficæ intentioni Creatoris respondes? Secundò, omnis creatura est quædam divinæ bonitatis in nos effusio, et naturale divini esse sacramentum. An Deum in illâ revereris? An illâ cum Dei amore uteris ? Tertiò, oratio debet omnium nostrorum ciborum esse condimentum. An reverà cibos oratione condis? Vide dicta ad v. 5.

Attendat et omnis fidelis ad omnimodam pietatis utilitatem, de quâ v. 8, ut pietatem omnibus præferat. Attendat denique et penetret quantum sit nobis bonum Deo semper vivo, et ideò nos semper videnti, nos semper remunerare potenti, servire; hincque in Dei servitio magis ac magis ferveat. Vide v. 10.

CAPUT V.

1. Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; juvenes, ut fratres;

2. Anus, ut matres; juvenculas, ut sorores, in omni castitate.

CHAPITRE V.

1. Ne reprenez pas les vieillards avec rudesse; mais avertissez-les comme vos pères, les jeunes hommes comme vos frères;

2. Les femmes âgées comme vos mères, les jeunes comme vos sœurs, avec une pureté parfaite.

3. Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.

4. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primùm domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus : hoc enim acceptum est coram Deo.

5. Quæ autem verè vidua est et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die.

6. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est.

7. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint.

8. Si quis autem suorum, et maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.

9. Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor,

10. In operibus bonis, testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.

11. Adolescentiores autem viduas devita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt;

12. Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

13. Simul autem et otiosæ discunt circuire domos; non solùm otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet.

14. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familiàs esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ.

15. Jam enim quædam conversæ sunt retrò Satanam.

16. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia; ut iis quæ verè viduæ sunt sufficiat.

17. Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur; maximè qui laborant in verbo et doctrinâ.

18. Dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti; et : Dignus est operarius mercede suâ.

19. Adversùs presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.

20. Peccantes coram omnibus argue; ut et cæteri timorem habeant.

21. Testor coram Deo, et Christo Jesu, et electis angelis, ut hæc custodias sine prejudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.

22. Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi.

23. Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates.

24. Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium; quosdam autem et subsequuntur.

25. Similiter et facta bona manifesta sunt : et quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

3. Honorez les veuves qui sont vraiment veuves.

4. Mais si quelque veuve a des fils ou des petits-fils, qu'elle apprenne premièrement à gouverner sa famille, et à rendre à ses père et mère ce qu'elle a reçu d'eux, car cela est agréable à Dieu.

5. Que la veuve, qui est vraiment veuve et abandonnée, espère en Dieu, et qu'elle persévère jour et nuit dans les prières et les oraisons.

6. Car pour celle qui vit dans les délices, elle est morte, quoiqu'elle paraisse vivante.

7. Faites-leur donc entendre ceci, afin qu'elles se conduisent d'une manière irréprénensible.

8. Que si quelqu'un n'a pas soin des siens, et particulièrement de ceux de sa maison, il a renoncé à la foi et est pire qu'un infidèle.

9. Que la veuve qui sera choisie, n'ait pas moins de soixante ans, qu'elle n'ait eu qu'un mari;

10. Et qu'on puisse rendre témoignage de ses bonnes œuvres, si elle a bien élevé ses enfants, si elle a exercé l'hospitalité, si elle a lavé les pieds des saints, si elle a secouru les affligés, si elle s'est appliquée à toutes sortes d'exercices de piété.

11. Mais n'admettez point en ce nombre de trop jeunes veuves, parce que la mollesse de leur vie les portant à secouer le joug de Jésus-Christ, elles veulent se remarier,

12. S'engageant ainsi dans la condamnation, par le violement de la foi qu'elles lui avaient donnée auparavant.

13. Mais de plus elles deviennent fainéantes; elles s'accoutument à courir par les maisons, et elles ne sont pas seulement fainéantes, mais encore causeuses et curieuses, s'entretenant de choses dont elles ne devraient point parler.

14. J'aime donc mieux que les jeunes veuves se remarient, qu'elles aient des enfants, qu'elles gouvernent leur ménage, et qu'ainsi elles ne donnent aucun sujet aux ennemis de notre religion de nous faire des reproches.

15. Car déjà quelques-unes se sont égarées pour suivre Satan.

16. Que si quelqu'un des fidèles a des veuves, qu'il leur donne ce qui leur est nécessaire, et que l'Église n'en soit point chargée, afin qu'elle puisse suffire à l'entretien de celles qui sont vraiment veuves.

17. Que les prêtres qui gouvernent bien soient doublement honorés; principalement ceux qui travaillent à la prédication de la parole, et à l'instruction des peuples.

18. Car l'Écriture dit : Vous ne lierez point la bouche au bœuf qui foule le grain; et : Celui qui travaille est digne du prix de son travail.

19. Ne recevez point d'accusation contre un prêtre, que sur la déposition de deux ou trois témoins.

20. Reprenez les pécheurs devant tout le monde, afin que les autres aient de la crainte.

21. Je vous conjure, devant Dieu et devant Jésus-Christ, et les anges élus, d'observer ces choses sans prévention, ne faisant rien par des affections particulières.

22. N'imposez légèrement les mains à personne, et ne vous rendez point participant des péchés d'autrui. Conservez-vous pour vous-même.

23. Ne continuez plus à ne boire que de l'eau; mais usez d'un peu de vin, à cause de votre estomac, et de vos fréquentes maladies.

24. Il y a des personnes dont les péchés sont connus avant le jugement. Il y en a d'autres qui ne se découvrent qu'ensuite.

25. Il y en a de même dont les bonnes œuvres sont visibles; et si elles ne sont pas visibles, elles ne demeureront pas long-temps cachées.

ANALYSIS.

1° *Timotheum instruit quomodò singulos fideles, pro ætate, sexu et gradu, debeat admonere, v.* 1, 2.

2° *Circa viduas, pro vario earum statu, specialia dat illi monita. Vult ut verè viduas, id est, desolatas, nutriat sumptibus Ecclesiæ, v.* 3. *Viduis divitibus, filios aut nepotes habentibus, præcipit ut suam familiam benè instruant et piè regant, v.* 4. *Redit ad veram viduam, ejusque pia notat exercitia, v.* 5. *Viduam verò voluptuosam asserit coram Deo mortuam esse, versu* 6. *Conditiones assignat requisitas ut quæ vidua inter ecclesiasticas reponatur, v.* 9, 10. *Juniores ex illarum numero excludit, quia rarò castæ, et sæpè vitiis ex otio nascentibus deditæ,* 11, 12, 13. *Præstat ut vel nubant, v.* 14, 15, *vel à suis propinquis, si quos habent divites, alantur, v.* 16.

3° *Bonis presbyteris pro dignitate et labore vult abundantiùs provideri; vetat in eos accusationem temerè recipi, v.* 17, 18, 19; *publicè tamen peccantes, quicumque sint, arguantur publicè, v.* 20.

4° *Timotheum per sacratissima quælibet obtestatur ut in judiciis æquum se præbeat, v.* 21, *ut nulli sine diligenti examine prævio manus imponat, v.* 22, *sed de bonis et malis ordinandorum operibus inquirat accuratè, v.* 24, 25. *Ad castitatem sollicitè servandam hortatur; ne tamen meram propterea bibat aquam, sed modico utatur vino, propter infirmitates, v.* 23.

PARAPHRASIS.

1. Ætate seniorem ne objurgaveris, sed blandè et reverenter admone, sicut filius qui suum admonet patrem; juvenes blandè ut fratres hortare.

2. Majores natu mulieres mone ut matres; adolescentulas hortare ut sorores, cum omni puritate.

3. Viduas, quæ verè sunt viduæ, ale et sustenta.

4. Si qua autem vidua, viro quidem orbata, sed facultatibus non destituta, filios aut filiorum filios habet, hæc ante omnia discat familiam suam, hos scilicet filios aut nepotes, piè instruere et regere, sicque educationis beneficium, quod à parentibus accepit, in filios refundere; hoc enim opus est Deo gratum.

5. Quæ autem verè vidua est, id est, desolata, et omni auxilio destituta, in Deum speret opitulatorem, et obsecret assiduè, orationi vacans nocte et die:

6. At vidua deliciis dedita, mundo vivens, Deo mortua est.

7. Et hæc quæ dixi, omnibus viduis præcipe et explica, ut eas nullus jure possit reprehendere.

8. Si quis autem, vel si quæ sibi sanguine junctis, et maximè sibi cohabitantibus, non prospicit, fidem christianam, quam profitetur, hâc suâ duritiâ negavit, et hâc in parte deterior est infideli qui suos curat.

9. Vidua in catalogo viduarum ab Ecclesiâ alendarum adscribenda sexagesimum attigerit annum, secundas non experta nuptias.

10. Quam bonorum operum fama comitetur: si filios piè educavit, si sanctos peregrinos hospitio recepit, eorumque pedes lavit; si afflictis subministravit necessaria ad solatium, si omnes bonorum operum occasiones prosecuta est.

11. Juniores verò viduas ne recipias in dicto catalogo, quia cùm Ecclesiæ copiis saginatæ fuerint, in Christum sponsum recalcitrant, et homini mortali nubere volunt:

12. Hinc que damnationis meritum habent, quia fidem quam Christo, sponso suo, primùm dederunt, irritam fecerunt, seu violaverunt.

13. Præterea otiosæ, assuescunt cursitare per domos; parùm est otiosas vagari, sed et garrulæ sunt, et, rerum alienarum indagatrices, loquuntur quæ non oportet.

14. Itaque malo ut nubant, matres sint et filios piè educent, familiæ curam gerant, quia sic nullum dabunt inimico prætextum ad maledicta.

15. Jam enim quædam, à Christo aversæ, Satanam sunt secutæ.

16. Si quis, aut quæ fidelis, viduas habet sibi agnatas aut affines, illis subveniat, ne sint oneri Ecclesiæ, ut iis quæ reverà viduæ sunt et desolatæ necessaria possit subministrare.

17. Presbyteri qui benè præsunt, et illi potissimùm qui in verbo Dei evangelizando laborant, ampliori et abundantiori subsidio digni sunt.

18. Dicit enim Scriptura, Deuter. 25: Non infrænabis os bovi trituranti; et Christus, Matth. 10, 10; Luc. 10, 7: Dignus est operarius mercede suâ.

19. Adversùs presbyterum accusationem ne recipias, nisi per duos vel tres testes probatam.

20. Peccantes publicè argue et publicè, ut cæteri, hoc punitionis exemplo deterriti, coercecantur.

21. Obtestor et adjuro te, audientibus Deo et Christo Jesu, et beatis angelis, ut quæ de judiciis ecclesiasticis dixi observes exactè, tegue sic præbeas æquum ut nec judicium præcipites, nec per affectum in hanc vel illam partem inclines.

22. Ne citò, et sine examine prævio, manus cuiquam imponas; ne te peccatorum alienorum reddas participem.

23. Te castum serva; ne propterea meram posthàc bibas aquam, sed vino utere modico et benè diluto, propter stomachi tui infirmitatem, et alias quibus frequenter laboras.

24. Quidam sunt homines quorum peccata ante quodcumque examen et judicium sunt nota; sunt autem alii quidam quorum peccata non nisi post examen manifesta sunt.

25. Similiter et quorumdam opera bona nota sunt ante examen, et aliorum sunt secreta; sed hæc diutiùs abscondi non possunt.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Seniorem, scilicet ætate, non dignitate, ut indicant sequentia:

Ne increpaveris. Verbum Græcum significat, *seni ne plagam inferas*, plagam scilicet verborum, non verberum. Id est, senem ne objurgaveris, ne durè et acriter correxeris; sed blandè, leniter, et cum aliquâ reverentiæ notâ admone, sicut filius qui suum patrem admonet.

Grave et molestum est argui; maximè cùm senex arguitur ab adolescente, ait D. Chrysostomus. Hæc Apostoli monitio de vulgari senum correptione intelligenda est; quando enim gravia sunt illorum peccata et scandalosa, junioresque ad interitum trahentia, tunc acriter sunt increpandi, ut ait D. Gregorius Magnus, Januarium episcopum senem increpans, epist. 1, l. 7, inductione 2. Quia, ut ait D. Thomas, hic senex, propter excedentem malitiam, perdit honorem senectutis, et tunc increpandus.

Juvenes ut fratres. Et hic Timotheum lenitatis admonet, ut scilicet ætatis frænaret audaciam, inquit D. Chrysostomus.

Vers. 2. — Anus ut matres... Idem vult ætatum discrimen in mulieribus observari, cum hoc addito, ut adolescentulas alloquatur cum omni castitate. Scilicet in corde, in oculis, in verbis, in gestu, in modo; ne ex blanditiis malo amori, vel saltem suspicioni, pateat aditus. Si hoc Timotheo præcipit, consideret quisque qualiter conversari debeat, ne umbram quidem occasionis calumniari volentibus det, ait D. Chrysostomus. Duo cum mulieribus cavenda sunt extrema; scilicet indiscreta duritiei, et nimia mollities. Infirmus est sexus; ne sis ergo durior: at magis infirma caro; ne sis ergo blandior. Hinc cum omnimodâ castitate, interná et externâ conversandum; præcavendo etiam ne, vel ob tempus, vel ob locum, oriatur suspicio.

Vers. 3. — Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. *Viduas quæ verè* et secundùm nominis etymologiam *viduæ sunt*, id est, desolatæ, v. 5, seu ab omni auxilio destitutæ; *honora*, id est, ale, sustenda, adjuva. Honor in Scripturis frequenter sumitur pro alimentorum, et vitæ necessariorum subministratione. Ita hujus capitis, v. 17, et Matth. 15, Dominus Jesus præceptum parentes honorandi de obligatione alendi interpretatur. Itaque verè viduas, desolatas et omnibus subsidiis destitutas, ale et sustenta, scilicet de largitionibus Ecclesiæ. Ecclesia miserorum mater, miseris semper est misera: hinc viduas Ecclesia nascens aluit. Hic autem erga eas præcipitur honor, oppositus despectui; de quo Act. 6, v. 1.

Vers. 1. — *Seniorem ne increpaveris*, etc. Eâ reverentiâ et lenitate, ut potiùs eos obsecrare quàm admonere videaris.

Vers. 2. — *Anus ut matres*, id est, mulieres natu grandiores. *Juvenculas ut sorores*, etc. Id est, per omnia castè.

Vers. 4. — Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat...

Observatio litteralis.

Hujus versiculi sicut duplex est lectio, ita et duplex sensus. Prima lectio, quam nostra Vulgata sequitur, est illa quam apposui: *Si quæ vidua...discat*, in singulari; hujusque nostræ lectionis sensus est, quem in paraphrasi expressi: Si qua vidua, viro quidem orbata, sed facultatibus non destituta, filios aut filiorum filios habet, hæc ante omnia discat familiam suam, hos scilicet filios aut filiorum filios instruere et regere, etc. Vide reliqua in paraphrasi.

Secunda lectio, quam habet Græcus hodiernus, et quam sequuntur multi, est hæc: *Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discant...*, in plurali; hujusque lectionis sensus est: Si qua vidua filios aut nepotes habet, discant hi scilicet filii et nepotes pietatem in familiam suam, matrem, vel aviam suam, inprimis et ante omnia exercere, et suis parentibus reddere quod ab eis in infantiâ suâ receperunt, id est, nutriant illos senes, sicut ab eis nutriti sunt infantes. Juxta hunc sensum vult Apostolus quòd antequàm talis vidua inter viduas ecclesiasticas, seu Ecclesiæ sumptibus nutriendas, reponatur, ipsius propinqui illam, quantùm poterunt, nutriant et adjuvent, et hæc filiorum pietas in matrem, vel aviam suam, Deo grata erit. Huic sensui favent, nen Græcus tantùm textus hodiernus, sed et Syriaca, Æthiopica et Arabica versio, quæ omnes habent, *discant*. Hunc sensum sequuntur inter Græcos Theophylactus et Œcumenius, inter Latinos, D. Hieronymus et Estius.

Fateor quòd hic sensus aliquandiù mihi placuerit, quia valdè appositus, et magis continuus videbatur. Animum tamen suspendi, tum propter auctoritatem nostræ Vulgatæ ab Ecclesiâ approbatæ, tum propter auctoritatem D. Augustini, Primasii, Ambrosii et aliorum antiquorum, qui legerunt *discat*. Imò et maximè propter auctoritatem D. Chrysostomi et Theodoreti, qui, licèt in plurali *discant* legerint, de viduâ tamen collectivè sumptâ, non de filiis, id explicant. Satis enim frequens est in collectivis nominibus ut transitus fiat à singulari ad plurale et à plurali ad singulare. Animo itaque sic suspenso propter auctoritates quasi æquilibrantes, textum accuratiùs legi et relegi; seriàque lectione animadverti quòd Apostolus de viduis præsertim ecclesiasticis acturus, agat et per occasionem de quibuscumque aliis viduis. Viduam itaque in triplici, imò quadruplici statu, considerat.

Sunt viduæ verè viduæ, id est, desolatæ, et ab omni auxilio destitutæ. Sunt viduæ, viro quidem orbatæ, sed facultatibus non destitutæ, et quæ filios

Vers. 3. — *Viduas honora*, etc. Quæ scilicet ab omnibus etiam filiis desolatæ, atque omnibus curis exutæ, unique Deo intentæ et dicatæ sunt. Ita Chrysostomus, Anselmus, Theophylactus.

Vers. 4. — *Si qua autem vidua filios aut nepotes habet*, à quibus ali possi, verè vidua non erit.

habent. Sunt viduæ quæ pauperes quidem sunt, sed quæ propinquos divites habent, à quibus ali possunt. Sunt et viduæ quædam, quæ in viduitate restant ut deliciosiùs vivant, nempe ut, à mariti jugo liberæ, faciant quidquid placuerit. Et de omnibus his viduis in hoc capite loquitur Apostolus. De verâ viduâ, v. 3 et 5; de viduâ facultates et filios habente, v. 4; de viduâ paupere, sed propinquos divites habente, v. 16; de viduâ voluptuosâ, seu quæ vidua manet ut deliciis vacet, v. 6. Ex hâc autem distinctione mihi lumen affulsit, Apostolique mens clariùs apparuit, et nostri interpretis lectionem retinendam et præferendam sine hæsitatione judicavi. Itaque credo quòd D. Apostolus, ubi de viduâ verè viduâ, seu desolatâ, incœpit agere, v. 3, antequàm illam definiat, illiusque pia notet exercitia, v. 5, statim quasi per occasionem (quod Apostolo frequens) de viduâ divite et filios habente agit, v. 4; huicque viduæ præcipit ut suam pietatem in primis exerceat in filiorum suorum educatione, et in suâ benè regendâ familiâ.

Paupères quidem viduæ, viro et filiis orbatæ, instent orationi, Deoque soli vacent. Divites verò viduæ, et quæ filios habent, suam inprimis pietatem in filiis suis piè et sanctè educandis collocent; HOC ENIM ACCEPTUM EST CORAM DEO.

VERS. 5. — QUÆ AUTEM VERÈ VIDUA EST... Nunc veram describit viduam, de quâ, v. 3, cœpit agere, ejusque pia designat officia. Quasi diceret : Ea porrò verè vidua est quæ et desolata, id est, ab omni prorsùs auxilio, viri, filiorum, nepotum, propinquorum et rerum omnium destituta. Ecce vera viduitas, vacuitas, desolatio. Χήρα, *vidua*, à verbo χηρεύω, *desolare*. Hæc rerum omnium vidua ad Deum confugiat, in eum speret, illique noctu et diù, quantùm fieri potest, orationibus adhæreat. Deum rerum omnium vice habeat. Ecce veræ viduæ piam occupationem.

VERS. 6. — NAM QUÆ IN DELICIIS EST... Græc., *at voluptaria*. Syr. : *Illa verò quæ versatur in deliciis.*

Quia nonnullæ viduæ, ideò viduæ manent non ut Deo vacent, nec ut filios, si quos habent, piè educent, sed ut deliciosiùs vivant, et à mariti potestate solutæ liberiùs faciant quod illis libuerit. D. Paulus, ut eas corrigat, et à tali genere vitæ, Christianismo oppositæ, deterreat, tales viduas Deo mortuas esse pronuntiat.

Discat primùm domum suam regere, id est, piè tractare, ut scilicet piè filios regat.

Et mutuam vicem reddere parentibus, ut scilicet, si parentes adhuc vivant, eis inserviat, opituletur, ministret, eosque alat, sicut ab eis à puero alita et educata est.

Hoc enim acceptum est coram Deo; opus illud pietatis filiorum in parentes est Deo vehementer gratum. Unde et promissionem longævitatis annexam habet in decalogo.

VERS. 5. — *Quæ autem verè vidua est, et desolata*, hoc est, quæ desolata est, *speret in Deum*, etc. Id est, speravit aut sperat, quasi Apostolus describat quæ verè viduæ sint, scilicet, quæ omnium hominum spe destitutæ totam spem et mentem in Deum defixerunt. Ita Chrysostomus.

Sicut vera vidua et desolata, mundo mortua, Deo vivit; sic è contra vidua voluptaria seculum spirans, vanitatique vacans, mundo quidem vivit, at Deo, et coram Deo, mortua est. Gratiæ vitam, quæ Deus est, perdidit. Sicut enim anima vita corporis est, sic animæ vita Deus : sicut moritur corpus quando emissa est anima, sic, amisso Deo, mortua est anima. Vide sanctum Augustinum, tract. 47, in Joan. Hæc autem Deum amisit; ergo mortua.

VERS. 7. — ET HOC (Græc., *hæc*) PRÆCIPE. Hæc quæ dixi de viduis, tum divitibus, tum pauperibus, tum voluptariis; hæc, inquam, omnia illis omnibus præcipe et explica, ut nullus eas jure possit reprehendere, seu crimen eis objicere.

VERS. 8. — SI QUIS AUTEM SUORUM... Hoc dicit in omnes, utriusque sexus, qui suos negligunt. Comprehendit ergo et voluptuosas et alias de quibus v. 4, si suos non piè regant; et viros etiam qui suos non alebant, sed eos sinebant Ecclesiæ esse oneri. *Si quis*, vel quæ, *suis*, id est, sibi sanguine conjunctis et maximè domesticis, seu sibi cohabitantibus, non prospicit, curando ut habeant animæ et corpori necessaria. FIDEM NEGAVIT, id est, Christianismum, quem profitetur, hâc suâ duritiâ factoque crudeli, destruit, ET HÆC IN PARTE DETERIOR EST INFIDELI qui suos naturali instinctu et pietate curat. Ideò itaque deterior, quia inhumanior, et quia, fide instructus, non facit quod infidelis facit pietate tantùm naturali ductus.

Hinc collige primò Christiani peccata enormiora, quia transgreditur Dei voluntatem sibi meliùs notam. Collige secundò quòd operibus nostris possimus per omnia credere, et per omnia fidem abnegare. Credimus, si juxta fidem operamur. Fidem abnegamus, si fidei contraria faciamus. Fidei abnegationem, apostasiam horremus verbalem, realem non horremus; linguâ fidem profitemur, factis negare non erubescimus. Collige tertiò quanta debeat esse omnium quidem, sed maximè prælatorum, patrum, dominorum, cura de suis; et ad hæc terribilia D. Pauli verba expergefacti paveant ob suas de suis negligentias : *Fidem negavit...*

VERS. 9. — VIDUA ELIGATUR NON MINUS SEXAGINTA... Agit hic de viduis ecclesiasticis, seu publico Ecclesiæ sumptu alendis, variasque conditiones assignat necessarias ut quæ in earum cœtum aggregetur. Tunc ergo cœtus erant viduarum ætate et sanctitate venerabilium, continentiæ VOTO DISTINCTARUM, simul commorantium, perpetuo Dei et Ecclesiæ obsequio insistentium. Hæ viduæ ex fidelium oblationibus alebantur, sicut et ecclesiastici. Ex illis eligebantur diaconissæ quæ cæteris præessent, quæ mulierum in templis conventui invigilarent, quæ imperitas instruerent, quæ baptizandas juvarent; hæc ex Tirino, qui citat auctores. De his agit etiam Cornelius à Lapide, Estius, etc. De his ergo viduis agitur et de conditionibus ad earum cœtum requisitis. Prima, ut sit sexagenaria, quia laboris tunc sunt incapaces, continentiæ verò capacissimæ. Secunda, ut sit univira, seu secundas nuptias non experta, sit casta.

VERS. 10. — IN OPERIBUS BONIS TESTIMONIUM HABENS... Tertia, ut publico bonorum operum testimonio publicum beneficentiæ subsidium promereatur. Quædam autem specificantur opera bona.

SI FILIOS PIÈ ET SANCTÈ EDUCAVIT.

SI SANCTOS peregrinos et viatores HOSPITIO RECEPIT, eorumque PEDES LAVIT, et alia infima erga illos exercuit ministeria. Si patientes adjuvit, quantùm potuit, pecuniis, patrocinio et intercessione, ait Theophylactus. Si omnes bonorum operum occasiones sit prosecuta, ita ut nec voluntas nec amor defecrit, si fortè defuit facultas aut occasio.

VERS. 11. — ADOLESCENTIORES AUTEM... Sexagenariis minoras viduas à dicto catalogo rejice, ne recipias, ob duo : primò, quia pleræque castitatem diù non servant, sed saginatæ lasciviunt et nubere volunt. Secundò, quia multis etiam aliis in rebus pleræque peccant, otiosæ, discursatrices, etc.

CUM ENIM LUXURIATÆ FUERINT. Græc. : *Cùm enim lascivierint*, verbum Græcum significat præ deliciis lascivire, ferocire. Syr. : *Lasciviunt enim sibi adversùs Christum*. Sensus est : Cùm sumptibus Ecclesiæ benè alitæ, saginatæ et indeliciatæ fuerint, lasciviunt, recalcitrant in Christum, et, rejectâ continentiæ professione, homini mortali, in maximam Christi sponsi sui injuriam, nubere volunt. Metaphora sumpta à jumentis, vel vitulis saginatis, quæ ferociunt, jugum excutiunt et in dominum recalcitrant. Sic et juniores viduæ, cùm in lasciviam deliciasque resolutæ fuerint, ait D. Chrysostomus, cùm indeliciatæ fuerint, ait

VERS. 6. — *Nam quæ in deliciis est*, etc. Secundùm spiritum, utpotè gratiâ Dei privatâ; q. d. : Vivens non vivit, sed vitam corporis obruit animæ morte. Vita in deliciis, et mors est et umbra mortis, inquit Bernardus.

VERS. 7. — *Et hoc præcipe*, etc. Præcipe viduis, scilicet, ut in Deum sperent, in orationibus assiduæ sint, delicias et voluptates fugiant, etc.

VERS. 8. — *Si quis autem suorum, et maximè domesticorum, curam non habet*, ut tam corporis, quàm animæ saluti provideat, *fidem negavit*. Non verbo, sed factis et opere : qui ergo suos negligit, videtur fidem et Christianismi famam negligere, etc.

Et est infideli deterior. Infideles enim naturali instinctu et pietate suorum curam gerunt.

VERS. 9. — *Vidua eligatur non minùs sexaginta*

D. Cyprianus, fœdus et pactum continentiæ, quam Christe devoverunt, violantes, nubere volunt. Vidua Christum sponsum habet, sicut et virgo, Theophylactus.

VERS. 12. — HABENTES DAMNATIONEM... Syr. : *Condemnatio earum statuta est, quippe quæ rejecerint primam suam fidem*. Id est, damnationis meritum habent, quia fidem fefellerunt quam Christo sponso suo dederunt, ita D. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus. Illam fidem, ait Tertull., lib. de Monogamiâ, quâ in viduitate inventæ et professæ eam, non perseverant : propter quod vult eas nubere, ne PRIMAM FIDEM susceptæ viduitatis postea rescindant.

Pater Amelotte citat S. Innocent. I, primâ epist., cap. 13; conc. Carthag. IV, cui aderat D. Augustinus, cap. 104. Citat et D. August., lib. 1, de adulter. Conjug., cap. 24, etc. Hinc benè colligitur quod apostolorum tempore erant vota. Vide Cornelium à Lapide.

VERS. 13. — SIMUL AUTEM ET OTIOSÆ... Secundam dat rationem ob quam juniores viduas debeat rejicere, quia in otio nutritæ ab Ecclesiâ, nec laborare coactæ, fiunt discursatrices, percunctatrices, etc. Ex otio nascitur circumcursatio, garrulitas, curiositas, et alia mulieribus, præsertim junioribus, frequentia vitia, quæ in Christianis turpia. Christiana mulier, quasi testudo, domum suam non deserat : *domûs curam habentes*, ad Tit. 2, 4.

VERS. 14. — VOLO ERGO JUNIORES NUBERE... His omnibus consideratis, circa tales viduas duo statuit Apostolus. Primum ut nubant. *Volo ergo*, id est, malo, præstat, meliùs est, ut nubant et matres sint quàm incontinentes vivere; et meliùs est ut filios suos nutriant, educent, domûsque curam habeant quàm ut OTIOSÆ circumeant VERBOSÆ... Longè præstat hæc facere quàm illa, D. Chrysostomus, quia, ait Apostolus, nullam sic dabunt occasionem, nullumque prætextum inimico ad maledicta, nec se per incontinentiam damnabunt. Ità sancti Patres illud *volo* explicant. *Volo*, quia ipsæ volunt, D. Chrysostomus, Theophylactus. Non viduas vetat esse Paulus, sed adulteras, quia meliùs est esse bigamum quàm scortum, D. Hieronymus, epist. 12, ad Ageruchiam. *Volo*, id est, concedo tales nubere antequàm promittant quod non

annorum, quæ sit diaconissa. *Eligatur* scilicet una è multis, quæ cæteris dignior iisque præponenda. *Quæ* vidua *fuerit unius viri uxor*, id est, quæ non plures habuerit maritos quàm unum, nempe successive.

VERS. 10. — *In operibus bonis testimonium habens, si filios educavit*, per se et ad pietatem; *si hospitio recepit*, id est, si fuit hospitalis, in peregrinis scilicet et pauperibus hospitio excipiendis.

Si sanctorum pedes lavit, id est, Christianorum peregrè venientium, *si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est*.

VERS. 11. — *Adolescentiores autem viduas devita*, id est, rejice, ne admittas in numerum viduarum ab Ecclesiâ alendarum. Non enim vitari eas vult, sed non assumi.

Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt. Luxuriari, id est, lascivire, deliciari, *in Christo*, id est, in Christi injuriam. Vox ergo *luxuriari* non libidinem, **sed luxum deliciarum** hic significat.

VERS. 12. — *Habentes damnationem*, etc. Habere damnationem, non aliud est, quàm obnoxium esse damnationi, etiamsi illa nondùm præsens sit. Apostolus *fidem* hic intelligit Deo datam, sive promissionem Deo factam per votum continentiæ. Hæc enim tam irritatur et infringitur nubendo, quàm fornicando. Augustinus ait : In iis qui voverunt castitatem, non tantùm capessere nuptias, sed nubere velle damnabile est. Concilium Carthaginense, per primam fidem intelligit votum castitatis.

VERS. 13. — *Simul autem et otiosæ discunt circuire domos; non solùm otiosæ, sed et verbosæ*, id est, nugaces, ineptè loquaces, garrulæ, *et curiosæ*, id est, rerum alienarum et ad se non pertinentium indagatrices. *Loquentes quæ non oportet*, quia verba proferunt interdùm parùm honesta et pudica, quod provenit ex lasciviâ.

VERS. 14. — *Volo ergo juniores nubere*, etc. Volo, inquit, id est, concedo, tales nubere, antequam pro-

valent implere, Primasius. Itaque hæc nihil contra adolescentularum vota, præsertim in monasteriis.

VERS. 15. — JAM ENIM QUÆDAM... Ex experientiâ lex lata est, ait Theodoretus. Jam enim quædam, ex illis junioribus, Christum et Christianismum deseruêre, seculum et diabolum secutæ. Non prohibet adolescentulas esse viduas, sed adulteras fieri vetat, nolens otiosas esse, etc. Eâ causâ sublatâ, non prohibet juniores viduas esse, ait D. Chrysostomus.

VERS. 16. — SI QUIS FIDELIS HABET VIDUAS... Secundum Apostoli statutum circa juniores viduas, quæ propinquos habent à quibus possunt adjuvari. Ecce quartum viduarum genus de quo in hoc capite. *Si quis* ergo, aut si quæ, *fidelis* habet viduas sibi agnatas, aut affines, illis subveniat, ut non gravetur Ecclesia, et habeat unde necessaria subministret iis quæ reverà sunt viduæ et omni auxilio destitutæ.

VERS. 17.— QUI BENÈ PRÆSUNT PRESBYTERI..., id est episcopi, pastores, etc., qui præsunt Ecclesiis, circa quos duo statuit. Primum, DUPLICI, id est, ampliori, multo et abundanti, HONORE, scilicet reali, subsidio digni sunt, id est, commodè sustentari merentur. *Honorem* dicit obsequium et rerum necessariarum largitionem, D. Chrysostomus. Maximè qui in evangelizando verbo Dei intenti sunt et in docendi ministerio.

VERS. 18. — DICIT ENIM SCRIPTURA. Hoc ipsâ lege firmat, Deuter. 25, 14; Levit. 19, 13; et ipso naturali jure, à Christo Domino confirmato, Matth. 10, 10; Luc. 10, 7.

Adverte, inquit S. Athanasius, quemadmodùm undique cogitur insudare qui docet; nam ut frumenta dissolvere et in grana deinceps comminuere non mediocris est labor, sic et qui alios instruit necesse est ad angoris et laborum se tolerantiam præparet. Cùm verò de operario disserit, ostendit nequaquàm hunc oportere delicias et quietem conquirere; operarius namque suâ dignus est mercede, sive cibo dixeris et potu; qui verò nihil operatur, vel his indignus esse arguitur.

VERS. 19. — ADVERSUS PRESBYTERUM. Secundum, ut in illos accusatio non recipiatur, nisi per duos aut tres testes probata. Ubi notandum quòd non dicit: Presbyterum ne damnes, nisi, etc., sed ACCUSATIONEM NE RECIPIAS, nisi, etc. Lege quidem Moysis damnari nemo poterat, nisi causâ per duos saltem testes probatâ, sed plebeius ad unius viri dictum capi poterat, et contra eum inquiri. Non ita de presbytero, tum propter honorem ei debitum, tum quia qui præest et alios corrigit multorum patet tum invidiæ, tum odiis et inimicitiis. Hinc contra eos exigendus testium numerus.

VERS. 20. — PECCANTES CORAM OMNIBUS. Quando tamen publica sunt peccata, quorumcumque sint, sive presbyterorum, sive laicorum, argui et corrigi debent publicè, ut cæteri, hoc punitionis exemplo deterriti, peccare timeant. Triplici de causâ corrigi debent delinquentes, ut ipsi fiant meliores, ut honor Ecclesiæ per eos læsus resarciatur, ut alii, hoc exemplo absterriti, coerceantur.

VERS. 21. — TESTOR CORAM DEO ET CHRISTO JESU. Postquàm hæc circa judicia ecclesiastica statuit, Timotheum per Deum, à quo omnis potestas, per Christum Jesum, omnium Judicem, per sanctos angelos ejus ministros, obtestatur et adjurat ut quæ dixit exactè servet et ita se præbeat æquum, ut nec judicium præcipitet.

SINE PRÆJUDICIO. Syr.: *Nullâ re præoccupetur mens tua.* Πρόκριμα, *præjudicium*, cùm judicium præcipitatur, seu cùm inauditus et indefensus damnatur.

NIHIL FACIENS IN ALTERAM. Syr.: *Et nihil agas per acceptionem personarum*, id est, nec per affectum in hanc vel illam partem inclinet, seu nihil propensione faciat in gratiam.

Quanti refert justè judicare, et quàm periculosum præoccupari judicem, vel affici, cùm D. Apostolus Timotheum suum tam vehementer obtestetur ut utrumque vitet, et judicet æquè! In Timothei autem personâ omnes instruit episcopos et prælatos, quos minatur Dei omnipotentis iræ, Christi Judicis vindictæ, angelorum sanctorum indignationis, nisi se judices æquos præbeant.

VERS. 22. — MANUS CITO. Timotheo, et aliis episcopis quos repræsentat Timotheus, imperat ne citò et sine serio meritorum examine cuiquam manus imittant quod non valent implere. Patet Apostolum loqui tantùm de viduis eisque liberis, nec voto astrictis, quibus non præcipit, sed indulget. *Maledicti gratiâ*, id est, ad Ecclesiæ maledicendum.

VERS. 15. — *Jam enim quædam conversæ sunt*, deerraverunt, *retrò Satanam*, id est post Satanam. Sensus est: Eas à Christo aversas, Satanam, id est, diabolum, secutas esse.

VERS. 16. — *Si quis fidelis habet viduas*, etc., subministret, id est, sufficiat illis, non ad lasciviam, sed ad vitæ necessitatem et sufficientiam.

VERS. 17. — *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore*, id est, multiplici; q. d.: Presbyteri multo, liberali, et abundanti honore, id est, subsidio sustentationis præmientur. Dicit autem, *qui laborant*, quia doctrinam sacram tradere sicut oportet, non parvi laboris est.

VERS. 18, 19, 20. — *Dicit enim Scriptura*: Deuter 25..... *Adversus presbyterum.... Peccantes coram omnibus argue*, id est palàm et in publico conventu Ecclesiæ, graviter ac severè sunt increpandi. *Peccantes* autem intellige, aut per se manifestos, aut publico judicio convictos, etc. *Ut et cæteri timorem habeant*, id est, ut cæteri timeant similem objurgationem, hoc est, publicam, et cum publico pudore conjunctam, etc.

VERS. 21. — *Testor*, id est, obtestor te *coram Deo et Christo Jesu et electis angelis*. Angelos electos vocat Apostolus angelos sanctos. *Ut hæc custodias sine præjudicio*, etc., personam non respiciens, cum æquâ bilance.

VERS. 22. — *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*. Per manus impositionem intelligit ordinationem; q. d.: Vide, ô Timothee episcope, ne quem temerè ordines, sed unumquemque priùs proba et examina, an probatæ sit vitæ et doctrinæ, talique gradu dignus: alioqui particeps fies peccatorum et scandalorum, etc.

Teipsum castum custodi. Propriè *castum* significat purum et immaculatum ab omni culpâ. Admonet Timotheum castitatis, id est, pudicitiæ diligenter et omni studio conservandæ. Unde Syrus vertit, temetipsum serva, id est in puritate, innocentiâ. Qui enim seipsum castum custodit, non communicat peccatis alienis, etc.

VERS. 23. — *Noli adhuc aquam bibere*, etc. Præcipit Paulus Timotheo ægro usum vini; quia, ut ait Ambrosius, vult Deus prudenter sibi serviri, ne nimietate laboris vel abstinentiæ debiles efficiamur, et postea medicorum suffragia requiramus.

VERS. 24 — *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt*, etc. Quasi dicat: Præcepi tibi, ô Timothee, manus citò nemini imposueris, nèque communicaveris peccatis alienis. Tu mihi objicies, quomodò aliena peccata deprehendam? Respondeo, peccata quorumdam esse manifesta, aliorum verò occulta. Si manifesta sint, non laborabis, quia facilè cognosces eos, qui illis obnoxii sunt, indignos esse ordinatione, et

ponat, ut illum ordinet sive in episcopum, sive in presbyterum, sive in diaconum, ne præcipitatâ indigoorum ordinatione sese peccatorum alienorum reddat participem. Idem intelligi potest de confessariis indignos absolventibus, et de facto aliqui sic intellexerunt; reverà tamen de ordinatione intelligendum cum sanctis Patribus et interpretibus. Diù explorandus est qui præficitur aliis, ne si quod habeat vitium in doctrinâ aut in moribus, in culpæ partem veniat illius ordinator. Meritò hìc applicari potest quod dixit Christus: *Nolite projicere margaritas ante porcos*, ordines impuris et ignaris conferendo, quorum indignos se reputarent angeli.

TEIPSUM CASTUM CUSTODI. Castum et irreprehensibilem invenit illum Apostolus, et ordinavit; hinc ait *castum te serva* et immaculatum, ut scilicet juvenis possis senes impudicos arguere, et in eos indeclinabilia exercere judicia.

VERS. 23. — NOLI ADHUC AQUAM. Græc., *ne ampliùs*. Syr., *ne posthàc*. Id est, ne propterea bibas posthàc aquam meram, cum tanto valetudinis tuæ dispendio:

SED MODICO VINO UTERE, id est, vino benè diluto, propter stomachi tui infirmitatem, et alias quibus frequenter laboras.

Ergo apostoli et apostolici viri, præter labores continuos, et ecclesiarum sollicitudines, abstinentiâ corpus suum afflictabant.

VERS. 24. — QUORUMDAM HOMINUM PECCATA. Redit ad ordinandorum examen, de quo v. 22, et Timotheum tacitè monet ut de ordinandorum non malis tantùm operibus, sed et de bonis diligenter inquirat, ne scilicet indignos ordinet. Quod ut exactiùs faciat et securiùs, distinguit duo peccatorum genera. Sunt enim quidam quorum PECCATA MANIFESTA SUNT, et omnibus nota, communi hominum famâ, ante quodcumque examen et judicium; et de his nihil inquirendum, sed penitùs rejiciendi, ut ordinatione indigni: debent enim ordinandi esse inculpati, et prorsùs irreprehensibiles.

QUOSDAM AUTEM ET SUBSEQUUNTUR. Sunt alii è contra quorum peccata sunt abscondita, quippe qui presbyterium ambientes vitia sua sub quâdam sanctitatis specie occultant: et hi diligenter sunt examinandi, de iis accuratè inquirendum, ut si post examen manifesta fiant in judicio, rejiciantur.

VERS. 25. — SIMILITER ET FACTA BONA. Non de malis autem eorum operibus, sed et præcipuè de bonis fieri debet inquisitio; debent enim esse virtutum exemplar qui cæteris præficiuntur. *Similiter et facta bona* MANIFESTA SUNT. Sunt autem quidam pii quorum opera bona omnibus nota sunt, quia virtus sese vel invitam prodit: et hi examine non indigent.

ET QUÆ ALITER SE HABENT, ABSCONDI NON POSSUNT. Sunt verò alii quorum opera bona sunt secreta quidem, sed quæ per examen manifesta fient; nec enim diù possunt abscondi, quia per opera brevi declaratur qualis quisque sit: hi ergo per diligens examen dignoscentur. Quòd si autem diligenti examine facto latent eorum opera bona, sanè suspecti possunt esse, et non ordinandi. Si autem per diligentem inquisitionem manifesta fiant tandem bona eorum opera, eò majori honore digni, quò majori curâ honorem fugerunt.

Utinam nulli quorum peccata manifesta sunt ad ordines et ad ecclesiastica beneficia promoveantur! Utinam et hypocritarum qui dùm beneficium ambiunt sub sanctitatis simulatione peccata sua occultant diligens fiat examen, ut, eorum detectâ malitiâ, vel rejiciantur à beneficiis obtinendis, vel per censuras ecclesiasticas priventur ab obtentis! Utinam et humilium secreta virtus per inquisitionem detegatur, et larvatæ ambientium impietati præferatur!

VERS. 25. — *Similiter et facta bona manifesta sunt*, et de his non laborabis, sed cognosces eos ordine esse dignos. *Et quæ aliter se habent*, scilicet bona facta aliorum quæ occulta sunt, *abscondi non possunt*, quin, si ea diligenter perscruteris, sis cogniturus, et facilè animadversurus, an ordinandi sint nec ne. Ita S. Hieron., Anselmus, Gagnæus, et alii.

dignos esse condemnatione ac pœnâ. Nam eos qui apertè mali sunt, jam constat esse rejiciendos, etiam antequàm de iis judicium examinis habeatur; quia peccata eorum ita manifesta sunt, ut judicium hoc præcurrant. Sin occulta sint, tibi laborandum erit ut ea detegas: sed ne desperes, exspecta, scrutare, explora, tandem ea deprehendes, quia peccata peccatorem subsequuntur quasi à tergo, etc.

Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad præxim redigenda.

1° Ecclesiasticus superior ac prælatus audiat, velut sibi dictum, quod D. Paulus circa correctionis modum Timotheo præcipit. Senes corrigat reverenter ut patres, juvenes leniter ut fratres, v. 1, 2.

2° Omnis Dei et Ecclesiæ minister audiat, intelligat, et altâ mente retineat hoc Apostoli verbum circa conversationem cum mulieribus. *In omni castitate*, internâ scilicet et externâ, conversetur cum illis, v. 2; duoque notet vitia erga illas pariter vitanda: nimiam scilicet duritiem, nimiam et mollitiem. Vide v. 2.

3° Animum intendant prælati ad terribilem mo-

dum quo sanctus Apostolus Timotheum adjurat ut æquum se præbeat in suis judiciis : *Testor coram Deo, et Christo Jesu, et electis angelis*, etc.; hincque intelligant quanti refert ipsorum justè judicare, et quantum immineat illis periculum si in suis judiciis vel præoccupentur, vel affectu ducantur. Vide v. 21.

4° Attendant et ad id quod Timotheo præcipit circa ordinationes, caveantque ne temerariâ et inconsideratâ indignorum ordinatione sese coram Deo alienorum peccatorum reddant participes. Vide v. 22.

5° Omnis anima christiana desolata, et ab hominibus derelicta, audiat quasi sibi dictum quod D. Apostolus de verè viduâ et desolatâ dicit, v. 5. *Speret in Deum* ; ad Deum confugiat, et eò magis in eum speret quò magis est desolata, et ab hominibus derelicta. Omnimoda derelictio dat jus ad Deum, omnè bonum, confugiendi, in eum sperandi, et ab illo necessaria eò pressiùs et instantiùs petendi quò majori necessitate premimur.

6° Omnis Christianus suorum negligens, at præsertim patres, domini, prælati, qui de suis non curant, audiant terribilia D. Pauli verba, v. 8 : *Si quis suorum, maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit*, etc.; hocque tonitru expergefacti gemant ob suas de suis negligentias, fidemque, quam hâc suâ duritiâ abnegârunt, sollicità in posterum suâ charitate profiteantur. Vide v. 8.

CAPUT VI.

1. Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur.

2. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt; sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt. Hæc doce, et exhortare.

3. Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ ;

4. Superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum : ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ,

5. Conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.

6. Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientiâ.

7. Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quòd nec auferre quid possumus.

8. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.

9. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.

10. Radix enim omnium malorum est cupiditas ; quam quidam appetentes, erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis.

11. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge; sectare verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.

12. Certa bonum certamen fidei; apprehende vitam æternam, in quâ vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus.

13. Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem ;

14. Ut serves mandatum sine maculâ, irreprehensibile, usque in adventum Domini nostri Jesu Christi.

CHAPITRE VI.

1. Que tous ceux qui sont sous le joug de la servitude sachent qu'ils sont obligés de rendre toute sorte d'honneur à leurs maîtres, afin de n'être pas cause que le nom et la doctrine de Dieu soient exposés à la médisance des hommes.

2. Que ceux qui ont des maîtres fidèles ne les méprisent pas, parce qu'ils sont leurs frères ; mais qu'ils les servent au contraire encore mieux, parce qu'ils sont fidèles, et plus dignes d'être aimés, comme étant participants de la même grâce. C'est ce que vous devez leur enseigner, et à quoi vous devez les exhorter.

3. Si quelqu'un enseigne autre chose, et n'embrasse pas les salutaires instructions de Notre-Seigneur Jésus-Christ, et la doctrine qui est selon la piété,

4. Il est enflé d'orgueil, il ne sait rien ; mais il est possédé d'une maladie d'esprit qui l'emporte en des questions et des combats de paroles, d'où naissent l'envie, les contestations, les médisances, les mauvais soupçons,

5. Les disputes pernicieuses de personnes qui ont l'esprit corrompu, qui sont privées de la vérité, et qui s'imaginent que la piété doit leur servir de moyen pour s'enrichir.

6. Il est vrai néanmoins que c'est une grande richesse que la piété, et la modération d'un esprit qui se contente de ce qui suffit.

7. Car nous n'avons rien apporté en ce monde; et il est hors de doute que nous n'en pouvons aussi rien emporter.

8. Ayant donc de quoi nous nourrir et de quoi nous couvrir, nous devons être satisfaits.

9. Parce que ceux qui veulent devenir riches tombent dans la tentation et dans le piége du diable, et en divers désirs inutiles et pernicieux, qui précipitent les hommes dans l'abîme de la perdition et de la damnation.

10. Car l'amour des richesses est la racine de tous les maux; et quelques-uns en étant possédés, se sont égarés de la foi et se sont embarrassés dans une infinité d'afflictions.

11. Mais pour vous, ô homme de Dieu, fuyez ces choses; et suivez la justice, la piété, la foi, la charité, la patience, la douceur

12. Soyez fort et courageux dans le saint combat de la foi ; travaillez à remporter le prix de la vie éternelle, à laquelle vous êtes appelé, ayant si excellemment confessé la foi en presence de plusieurs témoins.

13. Je vous ordonne devant Dieu, qui vivifie toutes choses, et devant Jésus-Christ qui a rendu, sous Ponce Pilate, un si excellent témoignage à la vérité,

14. De garder les préceptes que je vous donne, en vous conservant sans tache et sans reproche, jusqu'à l'avénement de Notre-Seigneur Jésus-Christ.

15. Quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium ;

16. Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem : quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest; cui honor et imperium sempiternum. Amen.

17. Divitibus hujus seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum)

18. Benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare,

19. Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.

20. O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ;

21. Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

15. Que doit faire paraître en son temps celui qui est souverainement heureux, qui est le seul puissant, le Roi des rois, et le Seigneur des seigneurs ;

16. Qui seul possède l'immortalité, qui habite une lumière inaccessible, que nul des hommes n'a vu ni ne peut voir, à qui est l'honneur et l'empire dans l'éternité. Amen.

17. Ordonnez aux riches de ce monde de n'être point orgueilleux ; de ne point mettre leur confiance dans les richesses incertaines, mais dans le Dieu vivant, qui nous fournit avec abondance tout ce qui est nécessaire à la vie ;

18. D'être charitables et bienfaisants; de se rendre riches en bonnes œuvres ; de donner l'aumône de bon cœur ; de faire part de leurs biens ;

19. De s'acquérir un trésor, et de s'établir un fondement solide pour l'avenir, afin d'arriver à la véritable vie.

20. O Timothée, gardez le dépôt qui vous a été confié, fuyant les profanes nouveautés de paroles et toute doctrine contraire qui porte faussement le nom de science;

21. Dont quelques-uns faisant profession, se sont égarés de la foi. Que la grâce soit avec vous. Amen.

ANALYSIS.

1° *Docet quomodò instituendi sunt servi christiani; suis nimirùm dominis, etiam ethnicis, promptè et reverenter obediant, v. 1 et 2. Secùs autem docentes damnat ut hæreticos, in quos rursùs invehitur : superbi sunt, ignari, mente et corde corrupti, religionis prætextu abutentes ad quæstum, v. 3, 4, 5.*

2° *Docet pietatem magnum quidem quæstum esse non divitiarum externarum, quas ambiunt hæretici, sed internarum, quæ dant sufficientiam, seu faciunt ut animus sit necessariis contentus, v. 6. Hanc sufficientiam inculcat Christianis omnibus, quos ab avaritiâ deterret ut malorum omnium, et temporalium, et æternorum, radice, v. 8, 9, 10.*

3° *Timotheum, et in eo omnes Dei ministros, speciatim avertit ab avaritiâ, ne in laico quidem ferendâ, et ad justitiam sedulò sectandam potenter impellit, v. 11, 12. Eumdem Timotheum, et omnes in eo episcopos, obtestatur per Deum vivum, et per Christum judicem, ut fortiter certet, hancque Epistolam observet usque ad adventum Domini, v. 13, 14, 15, 16.*

4° *Divites sanctum docet usum divitiarum; in se sint humiles, erga Deum pii, in proximum liberales, suisque eleemosynis æternam sibi comparent beatitudinem, v. 17, 18, 19.*

5° *Timotheum, et in ipso omnes episcopos, hortatur ut fidei depositum servet, nova vitet dogmata, objectiones ex falsæ philosophiæ principiis petitas rejiciat, v. 20, 21.*

PARAPHRASIS.

1. Quicumque sunt sub servitutis jugo heros suos, licèt ethnicos, perfectâ prosequantur reverentiâ, ne propter eorum inobedientiam christiana professio et evangelica doctrina malè audiat.

2. Qui verò dominos habent christianos caveant ne quid de reverentiâ remittant, quia christiani sunt; imò eò libentiùs illis ministrent quòd fideles sunt, et illis eò chariores sint quòd ejusdem sunt cum ipsis gratiæ participes. Hæc doce nescientes, hortare verò scientes.

3. Si quis doctrinam ab hâc nostrâ alienam docet, et non adhæret salutaribus Domini nostri Jesu Christi sermonibus, seu evangelicæ doctrinæ, quæ veram pietatem promovet,

4. Superbus est et ignarus, sed et languet circa futiles quæstiones et meras de verbis pugnas, ex quibus inanibus disputationibus oriuntur invidia, rixa, convicia, opiniones malæ, seu perniciosa dogmata.

5. Inanes et pravæ exercitationes hominum mente corruptorum qui veritatis lumine sunt privati, et ideò existimant pietatem rem esse quæstuosam.

6. Reverà magnus quæstus est pietas cui necessaria sufficiunt.

7. Sicut enim in hunc mundum nihil intulimus, ita procul dubio nihil ex mundo auferemus.

8. Necessaria ergo habentes, pasci scilicet et tegi, his contenti sumus.

9. Nam qui volunt fieri divites, avaritiæque student, in varias incidunt peccandi tentationes, quibus quasi retibus illaqueantur à diabolo, et in multas incidunt cupiditates non tantùm inutiles, sed et nocivas, quæ hominem demergunt in interitum et damnationem :

10. Amor enim pecuniæ est omnium malorum radix; cui studentes quidam à fide aberraverunt, et seipsos transfixerunt doloribus multis.

11. Tu autem, ô homo Dei, avaritiam et hæc eam comitantia peccata fuge; sectare verò sanctitatem et virtutes illius comites, scilicet pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.

12. Certa fortiter præclarum certamen fidei; apprehende vitam æternam (quæ palma est victori promissa) ad quam à Deo, quasi agonotheta, vocatus es, et quam hucusque prosecutus es, egregiam confessus confessionem coram testibus plurimis.

13. Obtestor te coram Deo vivente et omnia vivifi-